7300.b.7[10] 10.

Dissertatio Philosophica INAUGURALIS,

DE

ORIGINE MALI:

QUAM,

FAVENTE NUMINE,

Ut in Artibus Liberalibus & Disciplinis Philosophicis MAGISTER Ritè Renuncietur,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.

Academiæ EDINBURGENÆ *Præfecti:*

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI, *& Nobilissimæ* FACULTATIS ARTIUM, *Decreto,*

Eruditorum Examini, in Auditorio Publico Academiæ, ad 23. diem Februarii, horâ 10. Antemeridianâ, Subjicit

MATTHÆUS MITCHELL, A. & R.

EDINBURGI:
In Ædibus R. FLAMINII, M. DCC. XXXIX.

Dissertatio Philosophica

INAUGURALIS,

DE

ORIGINE MALI:

UNIVERSITY
LIBRARY
CAMBRIDGE

'73...6519

EDINBURGI:
In Ædibus R. FLAMINII, M.DCC.XXXIX.

[redacted]

AMPLISSIMO VIRO,

D. DUNCANO FORBES,

De CULLODEN,

Supremæ, apud *SCOTOS*, in Civilibus Curiæ PRÆSIDI;

Muneris sui decori, Patriæ, virisque omnibus probis, charo;

Dissertationem hanc Philosophicam,

Summâ ed, quâ par est, observantiâ & veneratione,

D. D. C. Q.

MATTHÆUS MITCHELL.

A

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

AMPLISSIMO VIRO,

D. DUNCANO FORBES,

De CULLODEN,

Supremæ, apud SCOTOS, in Civilibus
Curiæ PRÆSIDI;

Muneris fui decori, Patriæ, utriusque omnibus Artibus, cultori;

Dissertationem hanc Philosophicam,

Summa ei, quid Par ei, observantia
& veneratione,

D. D. C.

MATTHÆUS MITCHELL.

Dissertatio Philosophica
INAUGURALIS,
De Origine MALI.

I. EX admiranda rerum fabrica, atque accurata singularum in optimos fines ordinatione, Mens suprema, omnium causa & moderatrix, perspicuè monstratur. Divini numinis indicia in omnium oculos animosque incurrunt; & quo ulteriùs Philosophi in naturæ indagine sunt progressi, eò clariùs harmoniam rerum

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

ac concinnitatem perspiciunt, & ad magnum totius Auctorem adducuntur.

II. Porrò fieri non potest quin omnium sit prima causa a se existens: Si enim revera non sit, effectum catenata series esset absque causa; quod absurdum.

III. Causa hæc, rerum omnium formatrix, summam potentiam, sapientiam, & bonitatem, necessariò possidet: quæ perfectiones latè in operibus suis, ex rerum magnitudine, elegantia, & utilitate effulgent.

IV. Sicut Conditor hic omnium in se maximam semper possedit felicitatem, nec rei ullius indigus externi ut ea plenior efficeretur, nihil ad mundum condendum eum incitare potuit, nisi ut perfectiones suas exerceret. Totum opus ejus igitur, ex principio ad consummationem, integrum & perfectum sit oportet, absque omni vero defectu aut errore, qui summæ potentiæ, sapientiæ, & bonitati contradicat.

V. Summum equidem numen perfectissimâ libertate gaudet, ita ut, omni coactione immune, semper agat secundum perfectissimæ voluntatis beneplacitum, ac perfectissimæ suæ sapientiæ consilium. Nullâ tamen tali libertate præditum est, ut possibile sit ei aliquid mali agere, aut quicquam facere contra perfectissimæ bonitatis ac sapientiæ dictamen. Talis quippe libertas, non sanè perfectio, sed magna esset imperfectio. Quin cùm summa bonitas non minùs necessaria sit divinæ naturæ perfectio quàm æternitas, aut ipsa etiam existentia; non minùs impossibile est, Deum quicquam contra perfectam bonitatem admittere, quàm non æternum esse, aut omninò non esse.

VI. Quum

VI. Quum itaque omnia ſyſtemata poſſibilia rerum conditoris menti ſemper adeſſent, fieri non potuit quin optimum eligeret. Si enim minùs bonum elegiſſet, quum potuiſſet majus bonum eligere, haud congruenter bonitati & ſapientiæ ſuæ egiſſet: cum minùs bonum habeat, intuitu majoris boni, rationem mali. Mundus hic igitur (viz. tota rerum, quibus Deus exiſtentiam aut dedit, vel daturus eſt, ſeries) omnium poſſibilium optimus ſit oportet.

VII. Ex præſenti tamen malorum intuitu oritur difficultas, quæ ſupradictis veritatibus repugnare videtur; & quæ eò Epicureos induxit ut aſſererent,

Nequaquam nobis Divinitùs eſſe paratam
Naturam rerum: tantâ ſtat præditæ culpâ.

Lucret.

Si enim hæc optimum eſt ſyſtema, unde tam multis ſcatet confuſionibus? Unde morbi, peſtes, procellæ, fames, terræ motus, incendia, inundationes, tanto furore in mundo naturali graſſata ſunt? Et inter homines, quanta ſcelera nefanda occurrunt, cædes, rapinæ, calumniæ, perjuria, adulteria, & ſimilia! An hæc optimæ ſeriei rerum conveniunt, aut, ſalvâ divinâ bonitate, mentes humanas unquam inquinâſſent?

VIII. Quod ad mala quæ in mundo corporeo ſunt, reſpondetur: Hæc ex neceſſaria rerum limitatione profluere. Cum enim ex materia (*e. g.*) corpora humana formentur, hæcce corpora morbis, peſte, igne, &c. deſtrui poſſunt. Et hæc etiam elementa devaſtantia haud *mala* nominanda ſunt, niſi, totâ rerum

rum serie perluſtratâ, ea tunc vera esse mala perſpiciamus. Nam quæ seorsum sumta, mala & pernicioſa videntur; quum ad integrum ſyſtema referuntur, bona & ſalutifera esse possunt, & ad perfectionem totius necessaria.

IX. Etsi solutio hæc ad mala etiam quæ ex hominum vitiis oriuntur applicari possit, a quibusdam tamen rejicitur. Variè Philosophi igitur hanc difficultatem explicare conati sunt.

X. Quidam mala omnia derivant a principio summè malevolo, quale, una cum principio perfectè bono, ab æterno necessariò extitisse contendunt. Sed impossibile est duo talia principia simul extitisse; quippe quæ mutuò semetipsa destruerent: sicut maxima lux & denſiſſimæ tenebræ, quæ, in uno eodemque loco, & eodem temporis momento, vigere nequeunt.

XI. Alii *mala moralia*, ut appellantur, a principio deducere videntur, quod, licèt haud quoad exiſtentiam, in exercitio tamen, a ſummo numine non pendeat; hi, sciz. qui, totam hanc difficultatem expediri exiſtimantes per abuſum libertatis, quâ creaturas prædictas esse ſtatuunt, libertatem illam definiunt, potentiam, quâ, positis omnibus ad agendum requiſitis, agere quis possit, vel non agere: aut ſtatuunt, voluntatem non semper rationes, quæ menti validiores apparent, in ſuis actionibus ſequi; ſed sæpe velle tantummodò quia vult. Tantamnè rem tam negligenter!

XII. Nulla verò talis datur libertas: in actionem enim inducimur affectibus & appetitibus innatis, qui propriis semper objectis excitantur: &, abſque hiſce objectis aut rationibus, agere haud possumus. Quippe ſi propenſiones noſtræ internæ (quæ fontes ſunt actionum)

num) rationibus non moveantur, nihilo omninò moverentur, & ex nihilo ageremus; qoud abſurdum.

XIII. Licet etiam talis daretur libertas abſque rationibus agendi, difficultas ex origine mali hoc modo expediri nequit. Deus enim aut conſequentias ex libertatis hujuſce abuſu præviderit, aut non præviderit: Si non præviderit, aditus omnibus pateret confuſionibus, quæ ei acciderint improviſò, & quibus mederi haud potuit: Si præviderit, manet difficultas; facultatem enim unde talem conceſſerit, quam tantis ſciret malis implicatam fore?

XIV. Licet rationibus equidem ſemper agamus, imperfecti verò cum ſimus, & erroribus obnoxii, veram felicitatem ſæpe ignoramus, rationes falſas pro validis habemus, & hinc mala omnia ruunt.

XV. Hac cum limitatione facultatum, quâ in mala decipimur, a Deo conſtituti ſumus; cui, quum varios creaturarum ordines, diverſis perfectionum gradibus imbutos, formare ſtatuiſſet, homines facere cum potentia peccandi placitum eſt.

XVI. Deus porrò omnis potentiæ quæ in creaturis ſit auctor eſt & ſuſtentator. Ab eo totam agendi facultatem habent. Imò in ipſis peccatis prorſus ab eo pendent, &, ſine permiſſione & concurſu ejus, nil valent perficere.

XVII. Insolubilis equidem eſſet difficultas, mala cum perfectiſſima bonitate conciliandi, vel ſi in rerum univerſitatem mala dominentur, & bonis ſint majora; vel ſi, malis ablatis, ſyſtema perfectius, aut æquè perfectum ac ſimul cum illis efficeretur.

XVIII. Sed nulla cogit neceſſitas ut hoc concedamus. Nam quæ mala ſunt in parte aliquâ mundi, (in noſtra terra *e.g.*) ad maximum totius ſyſtematis bo-

num, quod haud aliter efficeretur, conducere possunt: Ita ut totum hoc systema complexum, omnium possibilium, optimum possit esse & perfectissimum.

XIX. Quamvis nulla quidem sit a posteriori demonstratio, præsumptiones tamen prævalidas habemus, mala, quæ in partibus mundi sunt, ad majus bonum ducere, & cum optima serie rerum esse connexa.

XX. Ex analogia videmus, quæ seorsum mala & ingrata sunt, aliis justâ ratione permixta, naturam priorem deponere, & ad perfectionem totius operis necessaria evadere: Sicut umbræ in picturis, cloacæ in ædificiis, venenum in medicamento, & similia. Et eodem modo mala conducere possunt ad formam mundi perfectissimam.

XXI. Sicut optimas esse perspicimus leges mundi naturalis (*e. g.* gravitationem) etiamsi calamitates quædam in partibus ex his aliquando eveniant: Ita nil obstat quin optimæ pariter sint leges mundi moralis (*e. g.* varii affectus & appetitus humanæ naturæ insiti) quamvis vitia ex his quoque aliquando oriantur.

XXII. Sicut ipsa etiam mala, quæ ex legibus interdum mundi naturalis eveniunt, majus bonum perficere sæpe videmus; veluti quum paries hominem, qui plures innocentes neci daturus est, obruit: Sic ex ipsis quoque vitiis, quæ ex legibus mundi moralis oriuntur, majora aliquando bona consequentia perspicimus. Ita vitia Tarquinii occasionem Romanæ libertati & gloriæ præbuerunt. Undè igitur, a posteriori etiam, aliquantulum pervidimus, mala quædam multo cum majore bono esse connexa.

XXIII. Sed, quod ex conjecturis a posteriori elicitur, id a priori, ex consideratione divinarum perfectionum, demonstrationibus nititur validissimis. Nam si aliud

quoddam ſyſtema poſſibile præſenti hoc melius fuiſſet; ſi, abſque malis ulla in parte, plus boni incluſiſſet, & magis reſpondiſſet bonitati & ſapientiæ divinæ; tale ſyſtema proculdubio in exiſtentiam fuiſſet evocatum. Deus enim nihil unquam creaſſet, quod haud cum perfectionibus ſuis ex omni parte conveniret. Hoc noſtrum ſyſtema, igitur, omnium poſſibilium neceſſariò eſt optimum, & mala quæ in partibus ejus ſunt cum bono maximo inſeperabiliter ſunt conjuncta.

XXIV. Ad totam rerum univerſitatem proſpectus noſtri extendendi ſunt, & ex hujus intuitu clarè videbimus, mala, quæ inter homines ſunt, nullam proportionem poſſe habere ad bonum totius entium ſyſtematis. Tellus enim noſtra inſtar puncti eſt reſpectu Planetarum, Solis & Aſtrorum fixorum, (quæ ipſa etiam aliis planetis Soles eſſe veriſimilè eſt.) Et omnia corpora hæcce immenſa, a creaturis innocentibus, & nobis multò præſtantioribus, habitari poſſunt: Ita ut mala humana quaſi evaneſcant, quum totum ſyſtema conſideremus. Et ſicut ſtultum foret, ſi hi, qui in ergaſtulo ſemper ſunt incluſi, de toto regno, ex pravitatibus paucorum, judicarent: Ita æquè eſſet ineptum, nos, quia ipſæ ſimus perſonæ in quibus hæc reſident vitia, totam ſeriem rerum ideo condemnare. Nullum enim ergaſtulum tam parvam ad regnum latiſſimum rationem habet, quam terra noſtra ad rerum univerſitatem. Bona, igitur, totius ſyſtematis prævalida eſſe poſſunt, & mala, reſpectu eorum, admodum perpauca.

XXV. Malis verò a puncto hoc tellure ablatis, totum ſyſtema univerſale mancum eſſet & imperfectum. Rerum univerſitas, enim, ſicut unum ſyſtema ex diverſis partibus conflatum, conſideranda eſt. Tota amplitudo ejus,

& quoad locum, & quoad tempus, in unum comprehendi debet. Singulæ partes inter se invicem sunt connexæ. Aliud ex alio pendet, materia iners vegetabilibus subservit, hæc animalibus, minora animalia majoribus, hæc hominibus, hi aliis ordinibus creaturarum dignioribus subservire possunt, hæ etiam aliis, donec integrum sit totum systema. Singulæ creaturæ proprium, ad bonum totius, locum habere debent. Quævis species animalium, etiam minutissimorum, ablata, quantum in se est, totius systematis ordinem & pulchritudinem perturbat: Veluti minimo catenæ nexu dempto, tota catena diminuitur. Et quò majoris momenti sit creatura, quæ abstrahatur, eò gravior est perturbatio, quæ ad totum inde proveniret. Si igitur hominem, qualis est, mundo supponamus ablatum, hoc creaturarum ordinem & gradus confringeret, & rerum seriem minùs perfectam efficeret. Etiamsi enim supponere possimus hominem, quoad se, ita formari, ut altiores, quam nunc, possediset perfectiones; totius tamen mundi respectu, eum ita creari debuisse, haud est dicendum. Veluti supponi potest, partem aliquam machinæ, majorem aut minorem, ellipticam aut sphæricam, æquè ac in aliis formis, fabricari potuisse: Sed, cum totam consideremus machinam, unam tantum formam partis hujus, ad totius perfectionem conducere perspicimus, sine qua machina minùs esset utilis. Si quæritur, igitur, Cur homo malis obnoxius formetur, cum Deus aliter eum facere potuisset? Eâdem ratione quæri potest, Cur ulli omninò diversi ordines sint creaturarum? Cur non singulæ summa in perfectione constituantur? Cur non omnis materia transformata sit in vegetabilia, & hæc in animalia, & hæc in homines, & hi in angelos, & ita deinceps ad ultimum terminum? Quod

omnem

omnem ordinem & varietatem perverteret, & omnem imperfectionem, (i. e.) omnes creaturas, ex mundo tolleret. Homo itaque, ficut pars eſt univerſæ rerum ſerici, ad bonum maximum totius omninò requiſitus eſt, (aliàs enim, a mente perfectiſſima, nunquam in mundum fuiſſet introductus:) Ita ut Syſtema abſque homine, qualis eſt, minus bonum & perfectum eſſet, quam cum eo.

XXVI. Omne vitium, ficut in ſe ſemper malum eſt, noxium, turpe, prohibitum, & viro indignum: Ita Divinæ etiam naturæ repugnans eſt, & quod illa ſummo odio neceſſariè proſequitur. Nihil enim niſi quod optimum eſt ei arridet, & propter ſe voluntatis ſuæ objectum evadit. Mundum hunc igitur, omnium poſſibilium, integerrimum vult eſſe & perfectiſſimum. Quum optimè ideò ſerie rerum mala quædam implicata eſſe viderit, hæc mala permiſit, ne, his ablatis, plus inde boni impediretur, & totius ſyſtematis pulchritudo perturbata eſſet.

XXVII. Licet Deus totam agendi poteſtatem, etiam in ipſis vitiis, hominibus tribuat, nulla verò ei adhæreſcit culpa, ſed tota in homine quærenda eſt. Ex fine enim præcipuè & intentione agentis, actio mala aut bona denominanda eſt. Ita membri ex aliquo exciſio, cum ex ira ſit & malitia, actio mala eſt: Sed cum ad ſanitatem totius corporis intenditur, tunc equidem bonum eſt & laude dignum. Eodem modo homines, cum peccant, quia nihil intendunt boni, ſed affectibus tantum ſuis indulgent, malè agunt, & in culpa ſunt: Deus attamen omni peccato eſt immunis, quia, in toto regimine ſuo, bonum maximum ſyſtematis univerſalis in animo habet, idque etiam re ipſâ perfecit.

XXVIII. Quamvis mala quæ in rerum sunt Deus removere potuisset, haud ex eo concludendum est, ea deputisse ab illo removeri, si non sapientiæ & bonitati suæ sit consentaneum. Hæ verò perfectiones ad mala permittenda eum inducunt, siquidem mala hæcce ab optimo systemate inseparabilia sunt, & ad perfectionem ejus conducunt.

XXIX. Deus non malum facit, ut inde fiat bonum; sed bonum maximum semper, & in totum perficit. Cùm enim quæ nobis sunt mala, ad systema perfectum reddendum necessaria esse viderit, cùm mala hæc in partibus permiserit, non tantum non malum, sed maximum faciebat bonum.

XXX. Mala quædam mundi naturalis facilius explicari possunt, quia leges, quibus movetur, pauciores sunt & simpliciores. Leges verò systematis moralis, actionum principia, universæ intensiones & circumstantiarum summæ mentis, abscondita sunt, & admodum complexæ. Portiones totius consilii divini minutissimas tantum videmus. Partium omnium connectiones nobis sunt incognitæ; ita ut quasdam possimus inutiles aut malas habere; ille verò defectus, non ex rebus, quæ optimæ sunt, sed ex nobismetipsis, oritur, qui ursus & fines singulorum, & totam seriem complexam, haud intelligamus: Quemadmodum quum Alphonsus systema solare culpabat, haud illa, haud in systemate, sed in ipsius ignorantia, fundamentum habebat. Cognitionem planissimam totius rerum seriei requirit, ut rectè de bonitate ejus judicemus: sicut anatomicæ artis accuratam postulat scientiam, ad usum omnium partium humani corporis observandum, qui aliter minus effet obvius. Ex nostra, igitur, ignorantia, & non ex ipsa rerum constitutione, omnes profluunt errores. Si verò, in puncto

debitò viſionis collocati ſimus, & aptis mediis inſtructi, totum ſyſtema optimum eſſe videremus, quamvis nunc aliter appareat.

XXXI. Ex ſupradictis, facilè diruitur objectio Epicuri, quæ hujuſmodi eſt: Rerum Parens omne malum ex mundo aut tollere vult, ſed non poteſt; aut poteſt, ſed non vult; aut nec vult, nec poteſt; aut & poteſt, & vult. Si poſterius dicatur, (quod menti perfectiſſimæ ſolùm conveniat) cur non mala ex terra excluduntur? Reſpondemus, Deus & vult, & poteſt, & etiam reipſa effecit, ut mala omnia vera ex mundo tollerentur, & ut ſyſtema produceretur omnium poſſibilium perfectiſſimum. Mala apparentia & in partibus ſententiæ huic haud repugnant: Nam quum ſyſtema, cum his malis, melius quoad totum ſit, quam ſine illis; ſapientia & bonitas perfectiſſima hæc debet permittere: ſi aliter enim feciſſet, minus bonum præ majori elegiſſet.

XXXII. Semper itaque de ſuprema mente, cogitationes altiſſimas indulgere licet, ut ſummè benignâ, omnia in optimum ordinante in bonum pleniſſimum ſyſtematis, & nihil quoad totum faciente quod verè huic contradicit: quæ in ipſis etiam, quæ nos mala eſſe cenſeamus, æquè bona eſt, ac in maximè indubitatis benignitatis ſuæ illuſtrationibus. Sub tali vivere gubernatore, quàm jucundum eſt!

ANNEXA.

ANNEXA.

I. *SOL & Planetæ circa axes proprios revolvuntur.*

II. *Terra circa Solem, spatio anni, movetur.*

III. *Sol telluri hyeme nostra propior est, quam æstate.*

IV. *Datur vacuum.*

V. *Motus & materia cogitationem haud producunt.*

VI. *Differentia æterna & immutabilis est inter Vitium & Virtutem.*

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE